



**Venerabilis Bedæ Presbyteri Anglo-Saxonis, Doctoris  
Ecclesiæ Vere Illuminati Opera Theologica, Moralia,  
Historica, Philosophica, Mathematica & Rhetorica,  
quotquot hucusque haberi potuerunt omnia**

In Vetus Et Novum Testamentum, Salvberrimis In Moysis Pentatevchvm,  
Tobiam & Iobum, Libros Regum, Davidis Pasalmos, Parabolas Salomonis &  
Cantica, Prophetas &c. explanationibus & Quæstionibus enodata:  
Moralibus doctrinis & expositionibus in quatuor Evangelistarum Evangelia  
illustrata: facundissimis ...

Continens Doctissimas Svper Varios Veteris Testamenti Libros  
Quæstiones, Et Commentaria In Psalmos Davidis - Vna Cvm Vocabvlorvm  
Psalterii Expositione: De Templo Salomonis, Et Sex Dierum Creatione:  
Commentarivm Item In Boethii Librvm De Sanctissima Trinitate, Aliosqve  
Piissimos Tractatvs De ...

**Beda <Heiliger>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1688**

Quæstiones super librum Numeri.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72069](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72069)

fortem Domini venire, nisi ut populus credentium, cuius ille figuram habebat, consors & coheres Domini haberetur in regno. Sicut Apostolus ait: *Heredes quidem Dei sumus, coheredes autem Christi*. Alius vero hircus, qui in fortem Domini non venit, similitudinem tenet infidelium, qui nunquam in Christo credere voluerunt. Hi utique accipiunt maledictionem totius populi, & omnes iniquitates humani generis, & projiciuntur in desertum locum. Sed quid est omnes iniquitates & maledictiones accipere, nisi quia omnia peccata, quæ ab Adam usque ad Christum humanum genus admittit, illi soli sunt percepturi, qui nec credere in Christo, nec expiari Christi sanguine voluerunt: & sic onusti & prægavati iniquitatibus & maledictionibus totius humani generis in desertum locum projiciuntur, id est, in tenebras exteriores, ibi est fletus & stridor dentium: & in stagno ignis, quod est gehenna, ibi ignis eorum non extinguetur: & vermis eorum non morietur.

## CAPUT XVI.

*Quæ de pecoribus non offerantur in sacrificio.*

**D**IVERSITAS victimarum, & quæ vel offerri debeant, vel non offerri, in hoc libro Leviticorum dinumerantur, sed per comparationem pecorum conversatio hominum demonstratur. Homo, qui obtulerit victimam pacificorum Domino, vel vota solvens, vel sponte offerens tam de bobus, quam de ovibus, immaculatam offerat: ut acceptabile sit, omnis macula non erit in eo. Si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulam, aut se abiem, vel impetiginem, non offeretur ea Domino, neque adolebitis ex eis super altare Domini. Borem & ovem aure aut canda amputatis voluntariò offerri potest: votum autem ex his fieri non potest. Omne animal, quod vel contritus, vel tonsis, vel scelis, ablatique testiculis est, non offeretur Domino, & in terra refrahoc omnino non facietis. De manu alienigena non offeretis panes Deo vestro, qui quid aliud dare voluerint, quia corrupta & maculata sunt omnia, non suscipietis ea. Primo rejicitur sacrificio maculosum animal, vel varium, id est, in quibus est diversitas peccatorum, & nunc in libidine & cupiditate, nunc in diversis criminibus commutantur. Rejicitur quidem & cæcum animal, id est, qui nec Deum videt, nec opera ejus facit. Fractum quoque, id est, viris carnalibus vexatum atque collisum. Rejicitur & cicatricem habens, qui non digna satisfactione poenitentia vulnera peccatorum deplorat, sed adhuc veteris morbi signum per deliria voluntatis interitus gestat. Reprobatur & lingua amputatum, quæ Deum non confitetur, neque divinam legem meditatur. Rejicitur & papulam habens, qui pruritu libidinis & ardore concupiscentiarum exafluat. Similiter & scabiosum, qui peccatum carnis perficit cogitatione operis. Jam verò impetiginem habens, hæreticorum figurat collectionem quæ frequenter se in Ecclesiæ corpus immergit, & impetigo livorem facit. Porro aure amputata sunt, qui verbo Dei non obediunt, non faciendo quæ iussa sunt. Qui verò caudam habet amputatam, ille est, qui bonum, quod incipit, perseverantia sine non perficit. Porro defectum, vel testiculis amputatum, indicat eos, qui cum corpore viri sint, turpitudinis usu effeminantur. His ergo criminibus involuti à sacrificio Domini reprobantur, nec efficiuntur consortes passionis Christi, nec cœlestis participes sanctificationis.

## CAPUT XVII.

*De cæteris ceremoniis.*

**S**ED neque panes alienigenæ offeruntur Domino, id est, supersticiosa doctrina hæreticorum, vel studia supersticiosa secularium literarum, quæ extra fidem sunt, & aliena putantur. Tales enim tepudiantur hostiæ à Domino, & rejicitur hujusmodi sacrificium ab Ecclesia Catholica.

*Expositio in Leviticum sñu.*

VENERABILIS BEDÆ  
PRESBYTERI, QUÆSTIONVM  
SUPER LIBRUM NUMERI,  
ex dictis Patrum, Dialogus.

## CAPUT I.

*Catalogus mansionum.*

DISCIPULUS.



RIMA nobis quaestio oritur, cur hic liber Numeri nomen accipit?

MAGISTER. Ideò hic liber unus ex quinque libris Moyfi, Numeri appellatus est, eò quod egressa multitudinis Israël ex Ægypto in eodem perfectorum virorum computatio & numerus teneatur infertis: in eotiam perfectiones eorum, & mansiones à finibus Ægypti usque ad locum & tempus, in quo Moyfes defunctus est, numerantur. In quo dies dedicationis tabernaculi & oblationum modus non sine mystici numeri sacramento rationeque dinumeratus est. Catalogus autem mansionum filiorum Israël, quæ à prima usque ad ultimam numerantur, simul quadraginta & duæ sunt. De quibus Matthæus loquitur: Ab Abraham usque ad David generationes quatuordecim, & à transmigratione Babylonis usque ad Christum generationes quatuordecim, id est, generationes simul quadraginta & duæ. Per has currit Hebraeus, qui de terra festinat transire ad cœlum, & Ægypto seculi delicto tertiam repromissionis ingreditur. Nec mirum si illo numeri sacramento perveniamus ad regnum cœlorum, sub quo Dominus & Salvator à primo patriarcha pervenit ad Virginem, quasi ad Jordanem, quæ pleno gurgite fluens Spiritus sancti gratia redundavit.

Prima mansio est Ramèsis urbs, quæ in extremis finibus Ægypti erat, in qua populus congregatus exiit in deserto altera die post Pascha in conspectu Ægyptiorum. Ramèsis interpretari quidam commotionem, vel tonitruum putaverunt, utique quia cum commoti fuerimus ad evangelicam tubam, excitati tonitru cum gaudio eximus in mente primo, quando hęc præterit, quando verni exordium est, quando cuncta renovantur: eximus quinta decima die mensis primi, in crastinum pasche pleno mentis lumine post æsum agni immaculati: & calceatos pedes habentes, de Apostolo & accinctos lumbos de pudicitia, & bæctos in manibus præparatos.

## CAPUT II.

*Pascha secundæ mensis.*

**S**ECUNDA mansio est in Socho: in qua coquunt panes Sazymos, & primum tendunt tabernacula. Unde & locus nomen accipit: Socho quippe interpretatur tabernacula seu tentoria. Cum ergo exierimus ex Ægypto, id est, à seculo primum tabernacula figimus, scientes nobis ad interiora pergendum, & ad sanctam terram cœlestem iter accelerandum.

Tertia mansio est Ethan, quæ est in extremo solitudinis, in qua primum videtur Dominus præcedens populum in columna ignis, Ethan sonat fortitudo live profectio. Preparamus ergo nobis fortitudinem, assumentes perfectum robur, ut inter errorum tenebras & confusionum noctis scientiæ Christi lumen appareat. Dies quoque noster nubem habeat protegentem, ut his ducibus ad terram sanctæ repromissionis pervenire valeamus.

Quarta mansio est Phi hahiroth, quæ est contra Belsæon. Phi hahiroth interpretatur os nobilium. Proinde assumpta fortitudine nobilitemur in Domino, contemnetes & Belsæon, qui interpretatur Dominus aquilonis, ejusque superbiam declinemus. Ab hac mansione profecti

filii

filiis Israël transferunt per medium mare in deserto, videntur Pharaonem cum suo exercitu pereuntem, Mariam præcipientem in tympanis.

Quinta mansio est Marah, ad quam venerunt filii Israël transito mare post triduum. Marah autem interpretatur amaritudo. Post prædicationem enim Evangelii & tabernacula transmigrantium, post assumptam fortitudinem fidei, & post baptismum atque victoriam rursus venit ad amaritudinem, ut voluptas atque luxuria vitæ amaritudine terminetur, & per crucis lignum quasi per cruciatum iterum suavitas compensetur.

Sexta mansio est Elim, ubi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palme: in figura duodecim Apostolorum, & septuaginta discipulorum secundi ordinis. De quorum fontibus doctrina potum haurimus, & dulces fructus victoriæ carpimus. Unde & bene Elim vertitur in arietes fortes: ipsi enim sunt robusti principes, gregis duces ovium, doctores gentium.

Septima mansio est iterum ad mare rubrum. Quaritur hic, quomodo post transitum rubri maris & fontes mare & Elim rursus ad mare rubrum venerint: nisi forte in itinere pergentibus sinus quidam maris occurrit, juxta quem castra metati sunt. Aliud est enim transire mare, aliud in proximo figere tabernacula. Ex quibus monetur, etiam post evangelicæ doctrinæ disciplinam, & cibos dulcissimos triumphorum aperire nobis interdum mare, & præterita discrimina poni ante oculos.

Octava mansio est in solitudine Sin, quæ tenditur usque ad montem Sinai. Interpretatur autem Sin, rubus vel odium: quia posteaquam venerimus in locum Ecclesiæ, de qua nobis sit Dominus locutus, grande odium mereamur inimici.

Nona mansio est Daphca, quæ dicitur pulsatio, juxta quod & Dominus ait: Pulsate, & aperietur vobis, Senusque manifestus, quia postquam venerimus in locum Ecclesiæ, incipimus sacramenta pulsare.

Decima mansio est in Alus, quod interpretatur fermentum, quod tollens mulier commiscuit farinae satis tribus, donec fermentaretur totum: in hac solitudine murmurat populus propter famem, accepitque vespere coturnicem, & mane alterius diei manna: & nota, quod in decima mansione manna tribuitur, id est, post decalogi perfectionem Angelorum panem manducare.

Undecima mansio est in Raphidim, quæ interpretatur dissolutio fortium, vel remissio manuum. In hac sitienti populo fons de petra Horeb in similitudinem Christi aqua erupit. Ubi Jesus in typo Salvatoris contra Amalech militat, & in ligno crucis demonum adversum nos tentamenta surgentia devincuntur. Ibi venit Jethro ad Moysen, dans consilium tenorum septuaginta, & in typum Ecclesiæ ex gentibus congregantiæ legis imminuto Evangelio suggerente complètur. Pulchre ad rem dissolutio, ac sanitas fortium Raphidim dicitur, vel propter dissipatum Amalech, vel propter sanatum Israël.

Duodecima mansio est in solitudine Sinai, ubi statim venit in mente Apostolicus numerus. Sinai quippe interpretatur rubus, & significatur Ecclesia, in qua nobis Apostoli prædicant. In hac mansione Moyses ascendit ad Dominum, ibique descendit Dominus in monte Sinai, dans legem populo suo: ibi fabricatur tabernaculum, ibi præcipitur veritas hostiarum, vasorum diversitas, indumenta Pontificis, sacerdotum ac Levitarum ceremoniæ: ibi numerus populorum Levitarumque, & per singulas tribus populi distributio. Oblationes quoque principum in hac mansione descriptæ sunt. Duæ quoque argenteæ tubæ ad promovenda castra ibidem fieri jubentur. Ibi præcipitur immundis, qui primo mente Paschæ interesse non poterunt, ut mente secundo conveniant. Sed quid tibi velit, quod hi, qui longius habitant, vel immundi in anima fuerant, in secundo mense Paschæ iussi sunt facere. Quod nimirum in typum intelligitur populi gentium, qui cum omnibus demonibus fornicari, immundi videbantur in anima: salubri verò confessione mundari, ad se-

cundam nativitatem quasi ad secundum memem transire præcipiuntur.

### CAPUT III.

*De Nazareis.*

**I**UBETUR quoque in hac mansione Nazareis, ut vinum & ciceram, & omne, quod de uvis est, non bibant, nec comedant: nec de uva quidem passas, sed nec acētum quidem ex vino. Sed in Proverbiis præcipitur, *Potentes, qui irascuntur sunt, vinum non bibant, ne cum biberint, obliviscantur sapientia.* Quid ergo Nazareorum nomine, nisi abstinentium continentiumque vita signatur? Hic in vino luxuria prohibetur, in ficera omnis voluptas terrena. Sicera enim ex diverso conficitur genere, sicut voluptas ex diversa vitiorum oritur passione. Illi enim vinum non bibunt, & ciceram bibunt, qui ad decipiendos homines umbras quasdam & imagines simulant habere virtutum. Uva passa illi vescuntur, qui propter humanos oculos abstinentiæ pallore inficiuntur, ut gloriam capiant ab hominibus. Acetum autem bibunt, qui post vitæ sanctitatem in veritatem præteritorum vitiorum labuntur, & corruptione veteris nequitiae delectantur. Præcipit itaque Deus, ut eos qui sanctitatis induerunt titulum, cunctis his careant vitis, nullamque hujusmodi perturbationem appetant, qui à tanta mente revertuntur.

### CAPUT IV.

*De leprosis, fluxis & immundis.*

**I**N hac mansione projiciuntur de castris leprosi, fluxi & immundi. Leprosi hæretici, fluxi cogitatione, immundi opere, ut tanquam contacti & morbidi à castris Ecclesiæ leporentur, ne contagione morum suorum vitam polluant innocentium.

### CAPUT V.

*Etas bellatorum.*

**I**BI ab anno vicesimo adnumerantur populi, qui ad prælium eliguntur. Sed cur ab anno vicesimo, nisi quia ab hac ætate contra unumquemque vitiorum bella nascuntur. Ideoque ad pugnam eliguntur, ut habeant contra libidines conflictum, ne luxuria superentur.

### CAPUT VI.

*Levite & custodes vasorum.*

**I**BI etiam ab anno vicesimo & quinto Levitæ tabernaculo servire mandantur, & à quinquagenario custodes vasorum sunt. Quid enim per annum quintum ac vicesimum, in quo flos juventutis oboritur, nisi ipsa contra unumquemque vitiorum bella signantur. Et quid per quinquagenarium, in quo & jubilei requiescunt in æternum, nisi interna quies, edomito bello mentis, exprimitur. Quid verò per vasa tabernaculi, nisi fidelium animæ figurantur. Levitæ ergo anno vicesimo & quinto tabernaculo serviunt, & quinquagenario custodes vasorum sunt: ut videlicet, qui adhuc in pugnantium vitiorum certamina per consensum delectationis tolerant, aliorum curam suscipere non præsumat. Cum verò tentationum bella subegerint, cum apud se jam de intima tranquillitate securi sunt, animarum custodiam fortiantur. Sed quis hæc prælia perfecte subigat, cum Paulus dicat: *Video aliam legem in membris, repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in lege peccati.* Sed aliud est bella fortiter perpeti, aliud bellicose enerviter expugnari. In istis excitatur virtus, ne extolli debeant: in illis omnimodo extinguitur, ne subsistant. Præcipit dehinc ibi lex Levitæ omnes pilos castis radere: quia in his, qui obsequiis divinis assumuntur, debent

ante Dei oculos à cunctis carnis cogitationibus mundi apparere, ne illicita cogitatione mens proferat, & pulchram animæ speciem quali pilis fructificantibus deformem reddat.

## CAPUT VII.

*Dua tuba.*

**P**OST hæc iubentur fieri dua tubæ, quarum clangore populi moventur ad prælium. Sic enim scriptum est de his ad Moysen: *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles.* Et paulo post: *Cum concisus clangor increpaueris, movebuntur castra.* Per duas enim tubas exercitus ducitur, quia per duo Testamenta, siue per duo præcepta charitatis ad prociuum fidei populus evocatur. Quæ idcirco argenteæ fieri præcipiuntur, ut prædicatorum verba eloquii nitore resplendant, & auditorum mentem nulla sui obscuritate confundant. Idcirco autem ductiles, quia necesse est ut hi, qui vitam venturam prædicant, per tribulationum præsentium tonsones crescant. Bene autem dicitur, *Cum concisus clangor increpaueris, movebuntur castra:* quia nimirum cum subtilior ac minutior prædicationis sermo tractatur, auditorum mentes contra tentationum certamina ardentius excitantur. Jam abhinc promovent filii Israël de monte Sina, & transeunt in sepulchris concupiscentiæ.

## CAPUT VIII.

*Sepulchra concupiscentiæ.*

**T**ERTIADECIMA mansio est in sepulchris concupiscentiæ, ubi populus fastidians cœlestem panem, carnes Aegyptias desideravit, multosque subitum voravit incendium, ex quibus edocemur, ut qui conversationem reliquimus seculi & Aegyptias ollas, id est, carnales desideriorum fervores contempimus, non debere murmurare contra cœlestem panem, nec virulentias Aegyptiorum desiderare, quæ sunt magnarum carniùm, sed simplicem manna cibum, id est, puram cœlestemque vitam ferre: alioquin si post percepta angelica manna, quæ est cœlestis vita siue doctrina, rursus carnes Aegyptias, quæ sunt carnales huius seculi voluptates, & concupiscentias pristinorum morum voluerimus appetere, vorabimur naufragæ, & statim Domini igne torquebimur, desideriumque nostrum vertetur in tumulos, ut simus sepulchra dealbata, quæ foris parent hominibus speciosa, intus autem plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcicia.

## CAPUT IX.

*Septuaginta viri electi.*

**I**N hac mansione descendit Spiritus super septuaginta viros electos, & tunc Dominus descendit in nube, & retraxit de Spiritu, qui erat super Moysen, & imposuit super septuaginta viros. Descendente enim in nube carnis Christo, diffusa est per fidem Spiritus sancti gratia super populos, & septuaginta gentium linguis electos, venitque super omnes donum illud virtutis cœlestis, quod quondam fuerat in Moyse & Prophetis.

## CAPUT X.

*Maria obtrectatio.*

**Q**UARTADECIMA mansio est in solitudine Hazeroth: in hac Aaron sacerdos locum incidens offensionis cum sorore sua Maria fratri uterque obtrectant, quod alienigenam accepisset uxorem: unde illic Maria contagio lepræ effloruit, quo loco evidens fuit figura mysterii, quod sacerdotalis illa plebs patrum Christo Salvatore adversus Ecclesiam congregatam ex gentibus derogaret. Ideoque lepræ sordē perfunditur, nec redit ad Dei taber-

naulum, donec statum plenitudinis gentium tempus adimpleretur. Tunc enim eadem plebs pristinam poterit recipere sanitatem, dum eis septiformis spiritalis agnitio ad veniam fuerit suffragata.

Quintadecima mansio est in Richma: quæ transfertur sonitus, siue viniperus. Ferunt autem lignum hoc ignem multo tempore conservare, ita ut si pruna ejus cinere fuerint adoperta, usque ad annum perveniant. Ex quibus discimus post sepulchra concupiscentiæ, siue antra transire nos ad lignum tempore multo calens, ut simus ferventes spiritû, & claro sonitu, atque in altum exaltata voce Evangelium Domini prædicemus. Ab hac mansione usque ad tricesimam secundam hæc continentur historiarum, quæ, quia non sunt per mansiones singulas distributa, à nobis quoque in commune dicentur.

## CAPUT XI.

*De duodecim exploratoribus.*

**D**UODECIM exploratores mittuntur ad terram sanctam, botrus refertur in ligno, & Christi breviter passio demonstratur. Murmurat populus Judæorum, gigantum impetum reformidans: pugnat contra Amalech & Chananeum nolente Deo, & vigas intelligit quæ debeat in terra sancta exercere sacrificia. Dathan & Abiron filii Chore confurgunt contra Moysen & Aaron, & terra voragine glutiuntur. Inter mortuos & viventes pontifex medius thuribulo armatus ingreditur, & currens ira Dei sacerdotis voce prohibetur. Virga Aaron florem profert & folium, & in æternam memoriam virens siccitas consecratur. Vitula rufa concrematur in holocausto, & cinis ejus peculiaris aspersio est, quorum quidem figuras breviter adnotantes ex duodecim exploratoribus incipimus. Exploratores missi ad explorandam terram aberem, qui teruerunt populum, ne crederent posse accipere terram à Domino repromissam, Scribarum & Phariseorum prætulērunt iudicium. Sicut enim illi per Moysen missi sunt, ut soli fecunditatem sollicita consideratione tractarent: ita & isti per legem & Prophetas iusti sunt, ut scripturarum per investigatione Dominicum specularentur adventum. In quo erat terra, id est, caro sancta, in qua regnum Dei, & ubertatem fructuum spirituum & vitam æternam consequi possent. Sed sicut illi de desperatione teruerunt populum, ne de Dei promissione considerent: ita & isti Scribæ & Pharisei suaserunt populo Judæorum, ne crederent Christum ad Aegyptum seculi huius redire cupientes. Repudiantes manna fidei, querentes ollas peccatorum nigras, & cepas putidas blasphemorum, & spones vitiorum ac libidinum corruptione marcentes. Ille autem botrus uvæ, quem in ligno de terra repromissionis duo adyexere vectores: botrus pendens è ligno, utique Christus, ex ligno crucis promissus gentibus, de terra genitricis Mariæ secundum carnem terrenæ stirpis visceribus effusus. Duo bajuli, qui sub oneribus botri illius incedebant, populus est uterque, cuius prior est Judaicus cæcus & avertus, ignarus pendens gratiæ, & pressus onere suspensi, cui subjicietur iudicanti. De quibus dicitur: *Obscurentur oculi eorum, ne videant: & dorsum eorum semper incurva.* Qui vero posterior veniebat, populi gentium gerebat figuram, qui credens & Christum ante oculos habens, semper eum portans videt, & quasi servus dominum & discipulus magistrum sequitur, sicut ipse Dominus in Evangelio ait, *Si quis vult post me venire, tollat crucem suam, & sequatur me.* Hic est botrus, qui effusus est in salutem nostram, & vinum sanguinis sui crucis contributione perfudit, atque expressum passionis suæ calicem Ecclesiæ propinavit. Hic est botrus, quem malo granato socia numeris gratia secuta est, nostra scilicet Ecclesia mater, habens intra se per granorum numerum multitudinem populorum, per ruborem sanguinis Christi signaculo confusantem: habentem etiam intus distinctam gratiam, sicut Apostolus ait, *Dirisa charismata & dona Spiritus sancti gratiæ distributa,* quibus omnibus indignos se increduli iudicantes,

terram carnis Christi fluentem lac & mel accipere non meruerunt: quam per fidem servi ejus, id est, Christiani populi consecuti sunt: de cuius doctrina quotidie dicit Ecclesia: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel & favum erit meo.* Fictum autem, quem cum botro de terra re-promissionis attulerunt, imaginem legis attulisse evangelicis edocemur exemplis. Sicut & botrum constat figuram Salvatoris ostendere, quemadmodum in Canticis canticorum Ecclesia de Christo dicit, *Frater meus ut botrus Cypri:* quia nec Christus sine lege, nec lex sine Christo esse poterit.

## CAPUT XII.

*De homine ligna colligente.*

POST hæc quidam homo, die sabbato ligna colligens, necatur a populo. Quid autem insinuat, quod tani atrociter jussu Dei fuerit idem ab omni trucidatus populo? Quod faciliè ab infidelibus proponitur. Intelligant ergo, quia hæc omnia in typo acciderunt illis: Scripta sunt autem ad correptionem nostram. Ille autem pristinus carnalisque homo, qui diem sabbatum violare ausus est, dum ligna colligeret, propter quod & puniuntur formam significabat ejus, qui hodie in Christo signatus invenitur agere carnale opus, id est, contrahere ligna, fœnum, stipulam ad escam ignis æterni convenientem: que dum colligit in suam perniciem, si fuerit deprehensus, pellitur ab omnibus, & statim occiditur, dum judicatur a spiritalibus. Sic ergo omnia, quæcumque illis Judæis per legem acciderunt, formaliter intelligenda sunt.

## CAPUT XIII.

*De Chore, Dathan & Abiron.*

SEQUITUR jam excidium Chore, Dathan & Abiron, qui sibi contra Moysen & Aaron sacerdotem sacrificandi licentiam judicantes, penas pro suis conatibus expenderunt. Per quos itaque significantur hi, qui hæreses & schismata facere conantur, & multos secum trahendo decipiunt, contemnentes sacerdotes Christi, & se à clero ejus plebis societate segregantes, constituturi autem Ecclesias, & aliud altare, precemque alteram illicitis vocibus faciunt, dominicæ hostiæ veritatem per falsa sacrificia prophanantes hi, qui contra Dei ordinationem nituntur, ob temeritatis audaciam terræ compaginibus ruptis viuentes profundo hiatu merguntur. Nec tantum hi, qui duces errorum sunt, sed & illi, qui consentiendo participes eorundem effecti sunt, in ignem æterni judicii præparata ulcione peribunt.

## CAPUT XIV.

*Aaron cum thuribulo.*

DEINDE Aaron sanctus à ruina mortis populum trahere cepit, thuribulum accipiens cucurrit obviam quassationi, stansque in medio superfluum ac peremptorium letalem plagam objecto sui quasi quidam murus excludit. Ille sacerdos Dominus Jesus Christus est, principium. Sacerdos iste ruinam mortis in mundo conspicens occurrit à summo cælo, venitque obviam quasi gigas ad currendam viam: iterique inter vivos & mortuos, quia natus est & mortuus. Sicque thuribulum passionis suæ accipiens, & in odorem suavitatis prætendens, suspendit ignis æterni perniciem, & inimicam peritulis mortem.

## CAPUT XV.

*Virga florens.*

VIROGA autem Aaron, quæ post siccitatem floruit, caro insinuat Christi, quæ postquam de radice Jesse succisa est, vivaciùs mortificata revivificat. Itaque virgâ post

ariditatem virefcens, Christus est, post mortem resurgens. Ipsam enim virgam, ipsum florem intelligimus, ut in virga regnantis potentia, & in flore ejus pulchritudo monstretur. Unde & in Canticis canticorum idem dicit: *Ego sum flos campi, & lilium convallium.* Alii virgam hanc, quæ sine humore florem protulit, Mariam virginem putant, quæ sine coitu edidit verbum Dei. De qua scriptum est: *Exiit virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet:* scilicet Christus, qui futura typum præferens passionis candido fidei lumine, & passionis sanguine purpura, flos virginum, corona martyrum, gratia continentium est.

## CAPUT XVI.

*Virgula rufa.*

RESTAT intèrè virgula rufa, in hoc locutione conternata, cujus cinis expiatio populi erat. Sic enim dicitur de illa ad Moysen & Aaron: *Præcipe filiis Israël, ut adducant ad te vaccam rufam atatis integræ: in qua nulla sit macula, nec portaverit jugum, tradetisque eam Eleazaro sacerdoti: que reducta extra castra immolabitur in conspectu omnium, & intinget digitum Eleazar in sanguine ejus, & asperget contra fores tabernaculi septies: comburetque eam cunctis videntibus tam pellem & carnes ejus, quam sanguinem, & sinum flammæ tradet. Lignum quoque cedrinum & hyssopum coccumq; hincinctum sacerdos mittet in flammam, qui vaccam vorat: & tunc denarium loti vestibus & corpore ingredietur in castra, & commaculatusque erit usque ad vesperam. Sed & ille, qui combusserit, lavabit vestimenta sua, & corpus, & immundus erit usque ad vesperum, colliget autem vis mundus cineres vacce, & effundet eos extra castra in loco purissimo, ut sint multitudini filiorum Israël in custodiam, & in aquam aspersio: quia pro peccato vacca combusta est. Habebunt hoc filii Israël & advena sanctum jure perpetuo, & qui tetigerit mortuum, & propter hoc septem diebus fuerit immundus. Aspergetur ex hac aqua die tertio, & die septimo mundabitur. Si die tertio aspersus non fuerit, vel septimo, non poterit emundari: virgula rufa caro est Salvatoris, rosea sanguine, passionis atatis integræ, quia perfecta ætate passionem suscepit. Quod autem non est impositum super illam jugum, hoc ostendit, quod caro Christi non est subjugata delicto, neque victa ab ullo peccato. Quod autem apprehensam ejecerunt filii Israël extra castra altante Eleazaro sacerdoti, populum Judæorum significat, & consensum sacerdotum in necem Domini, quem ejectum extra Hierusalem crucifixerunt. Sicut ergo, qui offerunt virgulam, immundi sunt: sic & qui apprehenderunt Dominum, peccatores habentur, & sicut is, qui colligit cinerem a personis, mundus est: sic & omnes mundi sunt qui passionem Christi prædicaverunt gentibus, & in toto orbe terrarum doctrinam ejus asperserunt, populosque Domino collegerunt. Lignum autem & hyssopum crucem putamus & baptismum. Per hyssopum enim fasciculum aspergebantur agni sanguine, qui mundari solebant: typicè figurantes lavacrum baptismatis & ablutionem æterni fontis. Per coccum autem bis tinctum figuram sacri sanguinis significari, quo peccatores abluuntur. bis tinctum autem, quia per eum & corpore & corde mundantur. Hæc enim tria ad purgationem peccatorum sunt tradita. Primò per cedrum, fides ligni crucis: secundo per hyssopum, martyrium: tertio per coccum, sanguinis dominicæ sacramentum. Sicut autem illuc die tertia purgari jubentur, ita & omnis anima purgatur ab omnibus delictorum sordibus, quæcumque eredit Christum Dominum die tertia à mortuis resuscitatum. Hujusmodi etiam homo mundus erit in die septima, id est, in regno Sanctorum, adveniente Domino, & beatus ac lætus partem cœlestis illius regni poterit. Qui autem non fuerit aspersus, id est, hujus gratiæ fide munitus, peribit anima illa de regno sancti sanctorum, & de populo fidelium. Ex sanguine autem hujus vitule ideo septies tabernaculum jubet aspergi, quia septem sunt Spiritus sancti charismata, quæ per Christi sanguinem super Ecclesiæ populos distribuntur, per quam ab omni delicto purgantur, sicut Apostolus ait: *Lam abluti estis in sanguine Christi & passione ejus.* Quod verò virgula cum pelle & ossibus*

bus suis comburitur, & agnus ille paschalis pari modo concrematur, ne ossa eius confringantur: hoc ostendit, quod Domini Jesu Christi corporis in passione non essent confringenda crura, sicut Evangelista testatur. Moraliter autem vacca rufa, cuius cinis expiatio populi est, non aliter immolari & offerri ad altare Domini poterit, nisi qui terrena opera non fecerit, jugumque delicti non traxerit, nec vinculis peccatorum fuerit alligatus. Jam dehinc post exploratores & botrum, post excidium superborum, & sacerdotale thuribulum, postquam virgam florentem, & vitulae combusta a personem revertantur ad mansiones.

Sextadecima mansio in Ramoth: quod latine dicitur mali punici divisio, quae significat Ecclesiam, quasi multa grana uno cortice contegit, dum omnem turbam credentium in fidei unitate concludit.

Decimaseptima mansio in Libna: quae latine transfertur in laterem: legimus, quod Aegyptius populus lateres faciens ingemuit. Ex quibus discimus in itinere istius vitae de alio in alium transitum nunc nos crescere, nunc decretere, & post ordinem ecclesiasticum saepe ad laterem, id est, carnalia opera transmigrare.

Decimaoctava est in Resla, quae infrenos vertitur. Si enim post profectum rursus ad lutulenta opera descendimus, infrenandi sumus, & cursu vagi atque precipites Scripturarum retinaculis dirigendi.

Decimanona mansio est in Caaltha: quae interpretatur Ecclesia, scilicet ut vagi currentim gressus frenis ad Ecclesiam retrahantur, & ad fores, quas ante reliquerant, rursus festinent intrare.

Vicesima mansio est in monte Sepher: qui interpretatur pulchritudo, id est, Christus: & vide quid prosint freni, a vitis nos retrahunt, introducunt ad virtutum choros, & in Christo monte pulcherrimo habitare faciunt. De quo scriptum est: *Venite ascendamus ad montem Domini.*

Vicesimaprimum mansio est in Arada, quae vertitur in miraculum: & vide quam pulchre est ordo virtutum, post frenos in Ecclesia intromittuntur. Post habitationem ad Christi montem ascendimus, in quo positi miramur in eo, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.

Vigesimasecunda mansio est in Maceloth, quae in coetu vertitur, id est, Ecclesia: in hac enim consistit multitudo credentium, juxta quod scriptum est: *Ece quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum.*

Vigesimatertia mansio est in Thaach, quae interpretatur pavor: quia dum quisque venit ad Ecclesiam, atque ascendit in montem pulcherrimum Christum, & stupore & miraculo Christi magnitudinem confitetur: adjungat deinde timorem, qui custos est beatitudinis, ut altum non sapiat, quia *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

Vigesimaquarta mansio est in Thare, quam nonnulli vertunt in malitiam, sive pasturam. Quod bene ad praepositos Ecclesiarum, vel ad custodiam animarum refertur, ut sollicitus sit quisque, qui habet pavorem, ne eo diabolus in caulas ovium, id est, in Ecclesiis per diversa viciorum foramina introeant.

Vigesimaquinta mansio est in Methica: quae vertitur in dulcedinem ascendisti, in excelsum patris, admiratus es virtutum choros, tenuisti ruinam, abjecisti insidiatores. Dulcis te proventus fructus laboris insequitur, ut merito dicas: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel & favum ori meo.*

Vigesimasexta mansio est in Afmona, quae latine festinationem sonat, scilicet ut postquam dulces fructus laboris sumpserimus, nisi sumus quiete contenti & otio, sed rursus ad altiora properantes obliviscamur praeteritorum, & in futura nos extendamus.

Vigesimaseptima mansio est in Moseroth: quod interpretatur vincula sive disciplina, scilicet ut festino gradu pergamus ad magistros, eorumque teramus limina & praeccepta virtutum, ac mysteria scripturarum vincula putemus esse aeterna. Haec sunt Christi vincula, de quibus in Ecclesia seu in Esaia legitur: *Viri sublimis ad te transibunt, & tui erunt servi.* Post te ambulabunt colligati vinculis, & alia

diaboli vincula, quibus ruptis vicit hostes Samson. De qualibus Propheta dicit: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudum.*

Vigesimoctava mansio est in Ben jacan: quae per interpretationem transfertur in filios necessitatis, seu stridoris, qui sunt illi filii necessitatis? Ipse Psalmus nos docet: *Afferre Domino filii Dei, afferre Domino filios ardetum: quae est tanta necessitas, quae nolentibus imponatur, cum divinis scripturis fueris eruditus, & leges earum ac testimonia, quae vincula veritatis sunt, sciens, contendes cum adversariis, ligabis eos, & vincos duces in captivitatem, & de hostibus quondam atque captivis liberos Dei efficies, ut repente dicas cum Sion: *Ego sterilis, & non pariens, transmigrata & captivata, & istos quis enutrivit? Ego destituta, & sola, & isti ubi erant?* Porro quod interpretatum est, filios stridoris ad illum sensum refert, quod timore supplicii, & ejus loci, ibi est stridor & stridor dentium, deserentes diaboli vincula, Christo Domino credentium turbæ colla submittant.*

Vigesimanona mansio est in monte Gad: Gad interpretatur nunciatus, sive accinctio, vel certe concilio. Non enim aliter possumus magistri discipulorum atque credentium eos facere filios necessitatis, nisi praecceptores eorum interfecerimus crudelissimos in occisione eorum, non parcat manus nostra. Annus aut extremum auriculae de ore leonis extrahere a viro de nuncio & accinctio brevis hanc dici potest: quod filii necessitatis grandes ad virtutis stimulos suggeramus, cum eis nunciaverimus praecepta futurorum, & accinctos in rebellando docuerimus: horum trium quicquid magister fecerit, in monte consistit.

Trigesima mansio in Jobatha, quod interpretatur bonitas, quae est Christus.

Trigesimaprimum mansio in Ebrona, quae interpretatur transitus, id est, mundus, de quo Apostolus ait: *Præterit enim figura hujus mundi: huc venientes Sancti Dei cupiunt ad meliora transire.* De quibus Psalmista canit: *Et non dixerunt qui præteribant, Benedictio Domini super vos.*

Trigesimasecunda mansio est in Afiongaber, quae transfertur in ligno viri. Possunt haec ligna viri saltum & omnium arborum genera multitudinem gentium figurare. Hucusque solum Pharan decem & octo continet mansiones, quae scripta in catalogo in superiori itinere componuntur.

Trigesimatertia mansio est in deserto Sim. Haec est Cadus, Sim autem sancta interpretatur per antiphrasim, sicut lucus cum minime luceat: vel bellum, quod tamen sit horridum.

## CAPUT XVII.

*Mariae mors.*

In hac mansionem moritur Maria, & sepelitur. Videtur in Maria prophetia mortua, in Moyse & Aaron legis & sacerdotum Judaeorum finis impositus, quod nec ipsi ad terram repromissionis transcendere valeant, nec credentem populum de solitudine hujus mundi educere, nisi solus Jesus Deus, id est, Salvator verus filius Dei.

## CAPUT XVIII.

*Moyseis vicubatio ad petram.*

In hac propter aquas contradictionis Moyse offendit Dominum, & prohibetur transire Jordanem: turbatus enim murmure populi dubitanter petram virga percussit, quasi illud non possit Deus facere, ut aqua de petra profunderet, quod ante jam fecerat. Quid ergo hic fides Moyse inlinuat, quod aquam de petra ejicendam titubaverit? Haec prophetiam fuisse de Christo recte intelligimus. Dum enim Moyse in Scripturis sanctis aliam atque aliam pro re aliqua significanda personam gerat, nunc tamen populi Judaeorum sub lege posita personam gerebat, eumque inter prophetiam pronunciationem figurabat. Nam sicut Moyse petram virga percussit de

Dei

Dei virtute dubitavit: ita ille populus, qui sub lege per Moysem data tenebatur, Christum signo crucis affigens, eum virtutem Dei esse non credit: sed sicut percutia petra manavit aquam sitientibus, sic plaga Dominica passionis effecta est vita credentibus. Habemus enim de hac re præclarissimam & fidelissimam vocem Apostolicam, cum inde loqueretur dicens: *Petra autem erat Christus. Hanc ergo carnalem de Christi divinitate Dei venerationem in ipso Christi altitudine Deus mori iubet, cum mortem carnis Moyse imperat fieri. Sicut enim petra Christus, ita & mons Christus. Petra humilis fortitudo, mons eminentis magnitudo: quia sicut Apostolus ait, Petra erat Christus, ita ipse Deus, Non potest civitas abscondi super montem constituta, scilicet montem: fideles autem suos in sui nominis gloria fundatos asserens civitatem. Prudentia enim carnis vivit, cum tanquam petra percussa Christi humilitas in cruce contemnitur. Christus enim crucifixus iudeis scandalum, gentibus autem salutem fulcra est. Et prudentia carnis moritur, cum tanquam montis eminentia Christus excelsus agnoscitur. Ipsius enim vocatis, iudeis & Græcis Christus Dei virtus, & Dei sapientia est.*

Trigesimaquarta mansio est in monte Or. In extremis finibus Edon, in quo ascendit Aaron juxta præceptum Domini. & mortuus est anno quadragelimo egressionis ex Ægypto, eo scilicet anno, quo novus populus repromissionis terram intraturus erat: & quanquam in monte sacerdotium Eleazar filio dereliquit, lexque eos, qui eam impleverint, perducatur ad summum: tamen ipsa sublimitas non est trans fluviæ Jordanis, sed in extremis terrenorum operum finibus. Et plangit eum populus triginta diebus: Aaron plangitur, Jesus non plangitur. In lege descensus ad inferos, in Evangelio ad paradysum transmigratio. Audit quoque Chananeus, quod venisset Israël, & in locum exploratorum, ubi quondam offendisse populum noverant, ineunt prælium, & captivum ducunt Israël. Rursusque in eodem loco pugnatur, ex voto victor vincitur, victi superant: per quod intelligamus, ut cum nos Dei auxilio destitutos hostes invaserint, duxerintque captivos, non desperemus salutem, sed iterum armemur ad prælium. Potest fieri ut vincamus, ubi victi sumus: & in eodem loco triumphemus, in quo fuimus ante captivi.

## CAPUT XIX.

*De morte Aaronis & serpenum vulneratione.*

TRIGESIMAQUINTA mansio est in Phinon. Hæc duæ mansiones in ordine historie non inveniuntur. In his mortuo Aaron murmurant Israëliti populi contra Deum & Moysen, manna salidiunt, à serpentibus vulnerantur. Sed quid illud significat, quod mortuus est serpens exaltatus & respectu æneo serpente sanabantur: nisi quod nunc in typo Salvatoris, qui ferreum antiquumque serpentem in patibulo triumphavit, diaboli venena superantur, ita ut qui verè expresseque imaginem filii Dei passionemque ejus conspexerit, conservetur. Hoc enim significant & verba ipsius Domini dicentis: *Sicut exaltavit Moyses serpentem in eremo, sic oportet exaltari filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quod verò æneus est serpens ipse, qui ligno suspensus est, æs quippe metallicis ceteris durabilis esse solet: & apte æneus serpens ligno suspensus est, ut Dominus & in serpente mortalis, & in ære significaretur æternus, ut videlicet & indicaretur mortuus per humanitatem, & tantem esset quasi æneus per divinitatem. Pulchrè autem prima mansio Selmona interpretatur imaguncula, quia nimirum ibi imago expressa est Salvatoris per serpentem æneum, qui in ligno pependit. Pulchrè etiam & secunda Phimon interpretatur os, quia postea quam passionem filii Dei cognoscimus, quod corde credimus, ore pronunciamus, legentes illud Apostoli: *Corde creditur ad iustitiam, ore confessio fit ad salutem.*

Trigesimaseptima mansio est in Oboth: quæ vertitur

in magos, sive phitones. Unde monstratur, quia post imaginem Dei, quæ in cordis ratione monstratur, & confessionem fidei, quæ ore profertur, consurgunt serpentes, & artes maleficæ ad bella nos provocant. Sed nos, custodia circumdantes cor nostrum, obduramus aures nostras, ne audiamus voces incantantium, & Syrenarum carmina negligamus.

Trigesimaoctava mansio est in Icabarim, in finibus Moab, quæ significat acervos lapidum transeuntium, id est, Sanctos per istud seculum ad alias mansiones transire festinantes.

## CAPUT XX.

*De Seon Rege Amorreorum, & Og Rege Basan.*

TRIGESIMANONA mansio est in Dibon Gad: in Gad in hac geritur bellum contra Seon regem Amorreorum & Og regem Basan. In his regionibus licet res gesta cognoscatur, tamen per conditiones virtutesque nominum spiritalis significatio est subiecta. Seon namque interpretatur tentatio oculorum, per quam figuratur diabolus, qui se transfiguratur velut Angelum lucis, & per hæresim & schismata verisimilia mentitur, ut fallat incautos: hunc Amorreus, id est, amaricantes habent regem. Nisi enim quedam simulatio veritatis præcedat, non sunt hæreses amaricantes, non schismata exacerbantes in Ecclesia. Ille ergo rex occiditur in unoquoque homine, quando quisque damnat simulationem, & diligit veritatem. Og verò rex interpretatur conclusio, Basan autem confusio. Id enim agit diabolus semper, ut concludat viam ad Dominum, opponendo idola sua, ne credatur in Christum. Conclusio præcedit, ut rex sequatur, confusio tanquam plebs: quia quos modò concludit, ne credant in Christum, quando apparuerit Christus, omnes confundentur. Mansio autem ista Dibon gad interpretatur, fortiter intellecta tentatio: quia nimirum si superetur simulatio, quæ per schisma vel hæresim exacerbatur Ecclesiam, & conclusio, quæ per sacrilegium claudit fidei viam, nihilominus tentatio intelligitur, ac deinde intellecta fortiter superatur.

Quadragelima mansio de Dibon in Gad, in Selmon de Bathaim, quæ vertitur in contemptu palatarum sive opprobriorum: & per hoc discimus, omnia dulcia ac illecebras voluptatum prætereuntium in seculo contemnendas & opprobria diligenda: quæ si falso obsecantur, beatitudinem pariunt. Salvatore plenissime per docente, qui ait: *Cum exprobraverint vos homines, beati eritis.*

## CAPUT XXI.

*Moysis mors.*

QUADRAGESIMAPRIMA mansio in monte Abarim contra faciem montis Nabo, ubi moritur & sepelitur Moyses, terra repromissionis ante conspecta. Nabo interpretatur conclusio, in qua finitur lex, & non invenitur ejus memoria: porro gratia Evangelii absque ullo fine tenditur: in omnem enim terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terra verba illius. Simulque considerandum, quod habitatio transeuntium in montibus sita sit, & adhuc profectu indigeat. Post montes enim plurimos ad campestria Moab & Jordanis fluviæ descendimus, quæ interpretatur descensio. Nihil enim tam periculosum est, quam gloria cupiditatis, & jactantia, & animus conscientia virtutum tumescens.

## CAPUT XXII.

*De Balaam & Balaac.*

QUADRAGESIMASECUNDA mansio est in campibus Moab super Jordanem, juxta Hiericho, ubi fixerunt teptoria à domo solitudinis usque ad Balsacham in planicie Moab in quadragelimesecunda, quæ extrema

mansio

mansio est, quædam, qualiter sint gesta, narremus: sedens in ea populus à divino Balaam, quem mercede conducebat Balaac, Dei iussu benedicatur, & maledictio mutatur in laudes. Sed quid est, quod iste Balaam, dum pervenire ad propositum tenderet, asina, cui præsidebat, dum vidisset Angelum, loquitur. Quæ est enim hæc asina, ubi bruta gentilitas, quam quondam Balaam, id est, seductor idololatricæ, quasi brutum animal & nulla ratione renitens poenitentia, quo voluit errore substravit. Sed ista Angelum Dei vidit, quem homo videre non potuit. Et vidit & detulit, & locuta est: ut agnosceremus posterioribus temporibus mutata duritie soliditatis solutis Deo linguis locuturam, ita ut quæ erat subiecta perfidia in vocem fidei & confessionis erumperet. Licet & caro nostra per hoc possit intelligi: Plerumque enim caro per molestias tacta flagello suæ menti Deum indicat, quem mens ipsa carni prædens non videbat, ita ut anxietate spiritus proficere in hoc mundo cupientis, velut iter tendentis impediatur, donec ei invisibilis, qui sibi obviat, innotescat. Unde & bene per Petrum dicitur: *Corruptionem habuit sua vesania subjugale musum*, quod in hominis voce loquens prohibuit Propheta insipientiam. Infans quippe homo à subjugali muto corripitur, quando elata mens humilitatis bonum, quod tenere debeat, ab afflictâ carne memoratur. Sed huius correctionis donum idcirco Balaam non obtinuit, quia ad maledicendum pergens vocem, non mentem mutavit: consilium quippe dedit regi Balaac, ut mulieres in meritorio poneret, & ante januas earum aras, ut venientes filii Israël prius sacrificent idolis, & sic ingrederentur ad mulieres. Unde & fornicatur Israël cum filiabus Madian. Sed quid est, quod iste Balaam populum Dei posse decipi certa ratione colligit, dans consilium, ut ex illa parte, quâ infirmari noverat filios Israël, perniciosi eis laquei tenderentur, non dubitans eos oblatâ copâ feminarum fornicationis ruinâ protinus lapsuros: quia concupiscibiles animos eorum præciebat esse corruptos. Ita ergo unumquemque nostrum nequitia spiritualis verita malignitate in figura Balaam pervertant, illis præcipue affectibus animæ insidiosos laqueo prætententes, quibus nos senserint agrotare, ut verbi gratia, cum viderint rationabiles animæ nostræ partes esse vitiatas, illos nos ordine decipere moliantur.

## CAPUT XXIII.

*Phinees sacerdos.*

SED Phinees sacerdos zelatus, ut Domini furorem placaret, Zambrem, qui ad scortum ingressus est, arripiens pugionem, utrosque transigit: significans per crucem Christi non solum idololatricam, sed etiam omnem carnis affectum vel concupiscentiam primi seculi, & tunc placari Deum, dum carnis extinguitur desiderium. Post hæc rursum populus numeratur, & Levitæ ut interfectis primis carnalibus novus Dei populus censetur, qui per Jordanis baptismum transeat, & celestis hereditatis repositionem percipiat.

## CAPUT XXIV.

*Numerus populi.*

PERÒ quod sexcenta millia amatorum de Ægypto numerantur egressa, & ex ipsis non sunt amplius, quam duo tantum terram repositionis ingressi. Hæc figura demonstrat multos per baptismum ad fidem transire, sed ad patriam celestem valde paucissimos pervenire. Secundum illam figuram in Evangelio, in quamvis vocati, pauci autem inveniuntur electi. Quod verò duo tantum ingrediuntur, aut propter eos, qui ex utroque populo regni celestis promissiones adipiscuntur: aut propter illos, qui per duas vias actionis & contemplationis ad æternam beatitudinem prædestinantur.

## CAPUT XXV.

*Quinque filii Salphat.*

INTERPELLANT dehinc quinque filia Salphat, & iudicio Dei hereditatem accipiunt inter fratres suos, nec legis plebs ab Evangelii possessione excluditur. Deinde Jesus Moysi in monte succedit, & discit quæ spiritaliter debeat offerri in Ecclesia: legi enim succedit Evangelium, ubique lex faciendæ præcepta admonet & gratia complet,

## CAPUT XXVI.

*Genera oblationum.*

PRIMUM quidem quid offerri debeat per singulos dies. Dehinc quid in sabbato propter spem quietis æternæ, quid in Calendis pro innovatione vitæ: quid in Pascha, quando conspelimur cum Christo per baptismum, quasi à mortuis transeuntes ad vitæ novitatem, & quid in Pentecosten propter gratiam Spiritus sancti, & indulgentiam remissionis peccatorum. Quid in neomenia mensis septimi, quid in jejuniis ejusdem mensis decimi diei. Quid in cenopæa, quando figuntur tabernacula, quintodecimo die supradicti mensis.

## CAPUT XXVII.

*De morte Balaam.*

DEHINC textitur bellum contra Madianitas, & mors divini Balaam, in cuius nece error perfidia ligno crucis interficitur: fitque deinde de Amalech prædixio, & oblatio ex ea animarum in tabernaculo Dei.

## CAPUT XXVIII.

*Filii Ruben & Gad.*

POST hæc filii Ruben & Gad, & dimidia tribus Manasse circa Jordanem possessionem accipiunt, & in repositionem terram hereditatem habere nolunt: figurantes, quia quos multa mundi implicamenta occupant, habitationem celestis patriæ nequaquam desiderant.

## CAPUT XXIX.

*Idoli destructio.*

DEHINC præcipitur, ut populus in terra sancta idola destruat, & nullus de prioribus habitatoribus reserveatur: ad significandum, ut dum in terram sanctam repositionis per fidem ingredimur, simul cum idololatricâ omnia etiam vitia extinguimus.



Venerabilis Bedæ presbyteri Quaestionum super librum Numeri finis.